

DE B. MARTINO ANTIPHONÆ XII

AUCTORE S. Odone.

(Apud Marrier, Bibliotheca Cluniacensis, pag. 261.)

I. Sanctus Martinus obitum suum longe ante præscivit, qui et discipulos in unum congregavit atque sui dissolutionem imminere prædixit.

II. Cum repente viribus corporis cœpit destitui, tunc mœror et luctus omnium, vox plangentium, unaque precantium : Ne, pastor, oves deseras.

III. Scimus quidem te, Pater, desiderare Christum, sed salva sunt tibi præmia tua, nostri potius miserere quos deseris, Pater.

IV. Domine, jam satis est quod hucusque certavi, sed quoad ipse jusseris militabo; ac si parcis ætati, bonum est mihi; hos quibus timeo, ipse custodias.

V. Artus febre fatiscens spiritui servire cogebat, stratuque suo illo nobili cilicio recubans, nec terram videre jam dignatus, cœlo totus inhiabat.

VI. Sinite me, inquit, cœlum videre, ut spiritus dirigatur ad Dominum, nihil in me reperiet inimicus, sed sinus Abrahamæ me suscipiet.

VII. Media nocte Dominica sanctus discessit, cui cœli cives mox obviant. Multi audierunt voces in sublimi, qui et vitro purior, lacte candidior, carne

A quoque monstratus est gemma sacerdotum.

VIII. Glorificati hominis viderunt gloriam qui adfuerunt : nam caro quam cinis semper obtexerat, ita resplenduit, ut quoddam resurrectionis decus et extincta proferret.

IX. Adest multitudo monachorum ac virginum, hi speciali gloria præcipue flebant, cum sentirent magis esse gaudendum, si rationem vis doloris admitteret.

X. Exsequiæ Martini non dicantur funeris, sed triumphi : nam greges suos qui ductu ejus mundum vicerant agebat ante se pastor extinctus, qui corpus ad sepulcrum sequentes psallebant et flebant.

B XI. Martinus signipotens, fulgore virtutum ipsa reverberat astra, hic diversa multorum complevit unus, unde et apostolis ac prophetis, pace sanctorum omnium, consortus est.

XII. O vere beatum, o ineffabilem, pietate, misericordia, charitate! quarum ut visceribus semper totus affluebat in Domino, sic non desit nobis. non desit in ævum.

S. Odonis Hymni Quatuor.

I.

De sacramento corporis et sanguinis Domini.

[Apud Marrier, Bibliotheca Cluniacensis.]

Convivas epuli mundos Deus esse superni
Edocet, et servis Dominus vestigia lavit.
Muneribus variis, et pluribus inde rejectis,
Frumentum et vinum cunctis hoc protulit unum.
Hoc sacrat, hoc nimium, quod fit breve, quod nimis
[altum,
Tam modicum sumptum, tam facile atque paratum;
Tam sublime tamen quod totam habeat deitatem,
Sufficit hoc solum mundi purgare piaculum.
Hinc placet hoc munus, quod fit de pluribus unum
Corpus hinc capiti, caput inde cohæret et illi;
Hoc genus, hoc unum placet, hoc durabit in ævum, D
Hoc facile est, nitidum, simplex deitateque
[plenum.

C

II.

De B. Maria Magdalena.

[Ibid.]

Lauda, mater Ecclesia,
Lauda Christi clementiam :
Qui septem purgat vitia
Per septiformem gratiam.
Maria soror Lazari
Quæ tot commisit crimina,
Ab ipsa face tartari
Redit ad vitæ præmia.
Post fluxæ carnis scandala
Fit ex lebetes phiala ;
In vas translata gloriæ
De vase contumeliæ.
Ægra eurrit ad Medicum,
Vas ferens aromaticum,